SCIENTIA VOCIS,

SIVE

DE D. IVONE

PAVPERVM PATRONO

ORATIO

HABITA IN EIVSDEM TEMPLO
AD EMINENTISS.

S. R. E. CARDINALES

A BERNARDINO CITTADONO
Seminarij Rom. Cleric.



ROMÆ, Ex Typographia R.C. Apost. MDCXXXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Eminentissimo Principi

ANTONIO
BARBERINO
S. R. E. CARDINALI
AMPLISSIMO.



BERNARDINVS CITTADONVS F.



FFERO Tibi VOCEM Oratorum Sanctissimi (Card. Em.) munus exile naturà, sed maximum virtute IVONIS, cuius in ore nil paruum est, in quo salus & innocentia virtutis oppressæ, toties in tuto creuerunt. Veretur hæc tamen ne post tot ætatum interualla quibus obmutuit, minus amicè ab hominibus non sæculi sui nunc iterum audiatur. Sed timori

ſuo conſuluit ſapienter, dum nihil ante protulit quam Principem ANTONIVM BARBERINVM: vt omine quam feliciſsimo inciperet loqui ab nomine Tuo, quo nihil inter homines aut amabilius, aut maiori veneratione auditur. Etenim nihil ſuauius eſſe poteſt hoc nomine quod incipit à Floribus ac deſinit in Mel. Et eſt mihi quoque quod gratuler ſuauitatem huius Vocis ab nomine Tuo potiſsimum accerſitam. Nempe, Conſiliũ erat euulgandi quæ Tuo iampridem ab PARENTE MAGNO PRINCIPE, in me, ac Patruum meum collata beneficia, ſic auges in dies: vt iam ſeptennium ipſum, Romanarum & virtutum, & artium in Seminario, beneficam auram munificentiæ Tuæ ſpirem. Vox deerat inculto Tyroni cõſilio ſuo non impar; Hanc ſuffeci, & Tuo quod profert, & IVONIS à quo profertur, nomine præpotentem. Neque mihi dubium eſt, quin omnibus ſim perſuaſurus hac Voce, me, vt Tuæ liberalitatis obſtetricio eductus in Sapientiæ lucem, per Te viuo; ſic æternum, vt Spondeo, Voueoque, Tibi victurum. Vale.

SCIENTIA VOCIS.

ORATIO.



SVAVE Prodigium ! O redditam aliquando Superstitione abolitâ materiam augurandi. Ecce dum assidet IVO medius inter Conuiuas è triuio, familiaresque asseclas è mendicis circumforaneis, incertum quâ regione cœli delapsa, humeris insedit Auicula, versicolori pompa plumarum illustris, quæ gemino in syrmate alarum hinc inde maiestate rutilanti ad ambitum explicatâ, Vocem per modulos, & garritus ad numerum repetitos, non tam naturâ profectò canorâ quam miraculo diuinâ emisit. Vaticinor Em. PP. nam vaticinari necesse est eum, quisquis ad Purpuræ Vestræ lucem, vt Memnon ad Solem, os resoluit. SCIENTIAM VOCIS in Patrono, cuius ars omnis & vita, labor, industria, Census in voce est, Auicula Vocis magistra commendat.

Auicula humeris insidet Iuonis inter mendicos & hospites assidentis Sur. 19. Maij.

Ita pronunciant aures, dum ad cœli matutini delicatissimas Voces, huc illuc per aërem, & virgulta volitantes, arrectæ silentio sententiam ferunt. Hanc Auibus scientiam in subtilissimi

 cor-

corporis dotem natura commodauit, vt quidquid vel humanis ab vocibus extorquet industria, laboriosè modulata per tot leges & numeros, & musicæ disciplinæ formidolosos characteres, quos appellauerim iure scopulos Syrenarum, vel expressum ab animo sponte per vocem mentis interpretem affectus emittit: Id omne, quà perfectissimum esse potest, in quotidianis auicularum concentibus, tanquam in Academia Vocis auditur. Ausculta sis modo Scientiam Vocis in vocali natione multiplicē. Nunc modulis numerosa tarditate languentibus amabiliter FLEBILIS, iucundissimisque suspirijs intercisa, vt luget ad delicias, & mœret ad Pompam: nunc INCITATA vehementius, vt sese blanda ferociter in cœlum attollit; ac velut ab arce superior Classicum canit irata. Hæc, vt molliter EFFICAX se per aures insinuat, & animos rapit modulorum contentione victrici. Illa, vt paruulos fœtus ante dispersos, modulatione PIA cogat ad sese, & media regnet in Corona plebeiarum Auium, quæ hanc vitæ ducem ac principem, silentio veneratæ comitantur. Ista, vt multitudinem dedignata, suas solitudini credit opes, & à terrà longissime superuolans, solis syderibus dulcissima COELESTIS cantus donatiua se ipsà teste ac Iudice contenta dispensat.

Vati-

Vaticinor iterum, Auditores, tanquam auspicio garrituque cœlestis Auiculæ IVONIS in vertice quiescentis. SCIENTIAM habet VOCIS Patronorum eloquentissimus IVO: Cui pietas, motus; Modestia, gestus; Pupillorum Silentium, vocem; Pauperum squalor, & sordes, ornamenta dictionis ac figuras; peroratrices lachrymas, oppressorum Calamitas; Innocentia dedit argumenta. SCIENTIAM habet VOCIS, quem sola Virtus ac pietas, non artificium aut natura, fecere disertum. Et quidquid in hoc multiplici varioque volucrum cantu Scientiæ natura dissipauit: id Diuinus Amor, longè nobilior artifex dicendi, collegit in IVONIS admirabili voce; quæ totidē prodigijs vna, vbique ad miraculum, pro Tribunali, tarda & FLEBILIS, è subsellijs, INCITATA, flexamina, & EFFICAX in suggestu, in Triuijs PIA, COELESTIS in solitudine, tot edidit oracula semper, quot verba formauit.

Si non liquet, accedite huc propius ad Tribunal, dum publica potestate ius dicit. Ecce autem illius latera cingit vtrinque vel litigantium vel reorum multitudo, & ab eius voce fatum quisque suum anceps, & dubius, spem inter ac metum expectat. Euge quid tamdiu fallis tot hominum vota, fortunamque instabilem, & incertam, cuiusque suspendis? Vides vt suum

quiſque iudicium, tacitus ſibi quidam quæſitor, & tortor, ſpe iam præcipit aut timore? hos enecas ea diuturnitate ſilentij, etenim neſcio quid anceps, & medium vitam inter ac mortem hæc mora eſt; nec viuere dicendus eſt, qui expectat ab iudicis ore an debeat interire. Loquitur ille tandem, Auditores, & aſſurgit aliquando ſententiam prolaturus, ſed non prius ore quam lachrymis. Nulla eſt profecto longa cunctatio de hominis morte, neque vnquam legitime Rei mors in iudicio prætoris Vocem hanc ſequitur, quam dolor & gemitus non præcedunt. Nempe parturiendum eſt ei cum dolore morà, & lachrymis, quæ triſtem hunc fœtum capitalem hominis pœnam, præpoſtero partu, in mortem enitetur. Quandiu ſic latuit ſcelus vt negari non impudenter potuerit, diſſimulauit vt amicus: vbi perſonam depoſuit, aut amiſit, comploratorem egit lachrymis ac propinquum, tum Iudicem ore; vt ſcilicet acerbitatem iuſtitiæ temperaret ſuauitate pietatis, & verbi aſperitatem infelicis, profluuio lachrymarum emolliret. O Vocem amabiliter flebilem in IVONE, quæ non ante iuſta quam pia, parentabat prius hominibus, quam damnabat: quemadmodum Aues Ægyptias olim, cum perirent paſſim Ægyptij peſtiferà cœli grauitate, flebiliter denunciaſſe proditum eſt calamitatem

Aelian. lib.16.25

hac

hac Voce, malis hominibus mala. Typus IVONIS videlicet adhibentis luctu ſolatium malo, quod Iudicis ore inferebat, nimirum vt vtrinque ſimul iuſta perſolueret, & publicæ tranquillitati, Voce crimen ſupplicijs addicente, & pereuntibus Reis, pio gemitu lachrymiſque.

An audire lubet incitatam, & poſt lachrymarum imbrem atrociori tempeſtate fulminantem? transferte huc oculos ab Magiſtratus Tribunali, ad oratorum ſubſellia, in quæ iam Patronus ex Iudice, pietatis ductu deſcendit; vt cum ad ſe dum Iudex eſt, interdum innocentia nefarijs ſceleratorum artibus vincta, venire non poterat, ad eam ipſe ſuppliciter illius lachrymis ac precibus Aduocatus adiret. O Superi? quæ nam hic domuit monſtra, fugauitque dominatrice facundiâ Vox IVONIS! Quoties pro innocentiâ perorauit, toties ab impietate forum ac tribunalia liberauit, & innocentiam orbi dedit, quam pene ſacrilegus, improborum ſceleribus opprimebat. Quoties cum impia fraude rabularum, & ſycophantijs viti ligatorum, in foro luctata eſt: Victrix ante perfidiam eliſit in conatu, ac fraudem eluſit; quam perfici poſſet, ac ſcelere frui. Quis ignoret illud miraculum quo criſtatis in auibus, præ animalium plebe maieſtate quadam ex ſortibus,

Aelian. lib. 3. tibus, natura quodammodo voluit de se ipsâ triumphare: Basilisco terrori sunt atque Leonibus, vel solo aspectu, si canunt, emoritur continuò Basiliscus, quasi canentibus illis, quicquid hostile est, & noxium interire necesse sit, vt quoties canunt, hoste cæso victoriam canant in Triumpho. Sic in Iudicijs regnat incitatissima Vox IVONIS. Nunquam non cecinit impietati fatale, & vel impudentissimum scelus, ac vænali præuaricatricis eloquentiæ fuco & arte disertum, obmutuit hoc patrono, solà pietatis facundiâ pro innocentiâ perorante.

Audite iam efficacē, & igneam in suggestu, dum innocentiam, ac virtutem, defensam è subsellijs, pro Tribunali conseruatam, iam proponit hominibus amplectendam, & in amplissimâ luce mortalium, cum orationis pompâ collocatæ, mentes, & animos & studia, vectigal amoris pretiosissimum, conciliat pietati. Nec mutauit tamen officiū IVO, sed perfecit; videlicet, non in foris tantum nostratibus contenditur seditione legitimâ Patronorum; sed Deum inter & homines, in priuato cuiusque Comitio lis maior est, dum asserit ille Ius suum, ac repetit fugitiuos; Hi Dominum dedignantur, & vindicant sibi sacrilegam libertatem. Et vnum id sanè supererat ad IVONIS eloquentiæ maiestatem, vt qui tam sanctè Prætorem,

torem,

torem, homines inter egerat; ac Patronum, iam ipsius quoque Dei ad homines patronus existeret, & Dei lingua diceretur. Apage, Magorum in Perside, postea quam regno potiti sunt, ridiculum superstitiosæ vanitatis monimentum. Aureas ab aureo Regum Throno pendentes auiculas, Deum linguas appellari voluere; commodarunt videlicet, meris diuinitatum simulacris, commentitijsque numinibus quæ loqui non possent; linguam, quæ vel in mutis eloquens est, & oculis, manibusque percipitur non auribus, Aurum. Eloquere saniora, Vox efficax Dei ad homines, Vox IVONIS, dum vnicà concione Ciuitatem ab auitæ superstitionis delirijs auertit ad Deum. Vox Dei est, non auribus tantum subiecta, sed oculis. vides qui litanti superuolat ignis globum, è cœlo delapsum? Ignem, diuini Amoris linguam agnosco. quoties ille cum hominibus vel è rubo, vel è monte, vel è cœlo colloquitur, Voces non alio format elemento, quam ignis. Vox Dei est inserta IVONI. I nunc, & pergenti concionaturo ad pulpitum, oppone fluuium exundantem, fluctus vtrinque recedent transeunti viam aperturi, etenim ignem charitatis eloquentem extinguere, nulla vnquam flumina potuerunt.

Philostr. lib. 1. vitæ Apol. Tian.

Sacrificāti globus igneus adstitit. Sur. 19. Ma.

Aquas diuidit. Sur. ibid.

Igneam audiuistis è Pulpito, en lacteam, & sua-

ſuauiſsimo miſericordiæ melle manantem. Vagamini tantum per triuia, plateaſque, Vocem IVONIS audituri, quicquid vbique pauperum eſt, egenorum, & hoſpitum ad ſe ſe cogentis, & in publicæ calamitatis Aſylum, communeque paupertatis ærarium, ædes ſuas, amabili violentiâ compellentis. Relictos aut infortunio caſus, aut parentum crudelitate pullos implumes Aquilarum, Oſsifraga volucrium amabiliſsima quærit, & Voce per ſyluas ſollicita miſerabiles fœtus inclamans, his pipire tandem perſuadet, vt voculæ ductu viam inueniat, & ad nidos infelices, nouerca, melior quam mater appellat. Quicquid id eſt hanc docuit tantum natura nondum in animantibus perfecta pietatem: Perfecit hanc virtus in IVONE, & addidit pondus pijſsimæ Voci, prodigijs ſuauibus, ac portentis. Exhauſerat cenſum, & ſuppellectilem liberalitas inexhauſta, per beneficia creſcens, dum minuit benefaciendi materiam, ac ſe ipſam ſenſim creſcendo conſumit. Sed tamen, quis perſuadeat pietati hanc pauperem eſſe, dum ſupplicem videt egeſtatem! Oblita eſt rei familiaris anguſtiæ, liberalitas aſſueta, non quærere domi quid ſupereſt, aut liceat dare, ſed foris quid commodum eſſe poſſit, aut libeat accipere. Domeſticos habet Egenos ad menſam, & ſupereſt panis fruſtum in epulas

Pl. lib. 10.

Panes Miraculo multiplicat. Sur. 19. Ma.

96

epulas hospitibus apponendas. Vocem ingeminat, quæ saluti tot fuerat ante mortalibus, & in delicias quoque fuit lautitiasque Conuiuij. Vescuntur opiparè cũcti miraculo vocis, enimuero necesse est, hoc sumptibus cœli conuiuium apparari, quo cœli hospites aliquando egenorum in habitu excipiuntur ab IVONE. Miraris vtique familiaritatem consortij qualis esse solet in hilaritate conuiuij, facilitatemque colloquij cum IVONE cœlestium incolarum; Cœlestis est quoque Vox IVONIS, & tam assueta sermonibus in solitudine pià cum cœlo miscendis; quam in confertà multitudine verbis pro communi omnium vtilitate faciendis. Minus tutò committitur huius Voci mortalium salus, qui tacere nunquam nouit in terra, vt loqui discat in cœlo: nec aliquid vnquam dicet immortale, qui cum mortalibus tantum in hominum turba loqutus est. Vtinam licuisset excipere modò quæ hac in solitudine, quà se IVO subducebat per interualla mortalibus, vt se assereret cœlo, longè ab hominum cœtu, eloquentissimus oratorum hoc in silentio, sibi solus testis, & corona solus, & Theatrum, cum Numine loquebatur. Quæ dies septem, & amplius sine cibo, vt integrum cœlo reseruaret cœlestibus colloquijs os sacratum, cum beatis spiritibus, toto ad libitum gauisus cœli cõmer-

Angelos excipit conuiuio. ibid.

cio

cio conferebat. At opinor, nimius eſt rerum hic ſtrepitus humanarum, vt concentus cœli poſsit ille mirabilis exaudiri, nec quæ dulcisſimè canit Auis Paradiſiaca, quod pedibus vti dedignatur vt cœli viciniâ ſemper alarum beneficio frui poſsit, percipitur vnquam auribus ab humanis.

I fruere Deo Vox Cœleſtis, nec Te diutius interpellat in cœleſti colloquio, Vox laudatoris inculta. Scientiam habes Vocis, & quicquid vbique perfectum, arte, naturâ, vel miraculo, Vox inter homines mortalis accepit: Id pietas Tibi Tua, Virtus, Induſtria; compararunt. Pudet, me balbutientem audiri dum loqueris, & ſuauitatem Vocis Tuæ, orationis huius meæ aſperitate violare. Sed vnum tamen memineris, Imaginem vocis Echo, deeſſe omninò non oportere Voci Tuæ. Nunquam mihi crede nobilius quam Romanis ab collibus repercuſſa reſonabit. Age, fac iterum audiatur cum fœnore, vt ætati noſtræ perutili, ſic IVONI glorioſo, Et toties hîc reſonet feliciter Iterata, quot ſcilicet Romæ ſunt Iudices, & Patroni.

DIXI.

